

et de publico crimine; ut repetundarum, vis, ambitus, et simili convicti; qui tantum pro certis personis postulare valent, ut pro parente, patrono, et conjunctis, (*ibid.* §. 8. usq. ad fin.) Præterea repelluntur servi, quia juris civilis communionem non habent (*l. 32. ff. de R. J.*); hæretici et infideles (*l. 15. C. de Episcop. aud. l. fin. C. h. t.*); jurium imperiti (*l. 2. C. h. t.*); judex et arbiter in eadem causa, quam judicant, (*l. 6. pr. C. h. t.*); fiscus, vel *respublica*, vel *potentiores* contra privatum, (*tit. C. ne liceat potentior. et tit. ne fiscus vel republ.*)—Per sententiam judicis à postulando removeri possunt, qui pacti sunt super quota litis, vel à giudice jussi noluerunt advocare (*l. 5. 7. C. h. t.*), vel qui colluserunt cum adversario (*arg. l. 4. et 5. ff. de prævaricat.*)

281. Q. II. *Qui jure Canonico prohibeantur postulare?*

R. 1.º Excommunicati, (*c. 8. de sent. excom. in. 6.*)—2.º Monachi sine consensu Prælati (*c. 2. h. t. et Can. 35. Monachi 10. q. 1.*), ubi limitatio ponitur, nisi utilitas monasterii talem advocationem exposceret; exceptis tamen Mendicantibus, qui pro nulla utilitate sui monasterii advocare possunt, etiam de licentia Prælati (*Clem. 1. de V. S.*)—3.º Clerici seculares omnes in causa sanguinis, vel mutilationis, ob periculum irregularitatis, (*c. 9. ne Cler. vel Monach.*), licet pro reo advocare non videatur esse prohibitum. Item contra propriam Ecclesiam, vel proprium Episcopum (*c. fin. h. t.*), nisi quis postularet in causa propria, vel pro persona miserabili.—Sacerdotes postulare possunt pro se ipsis, personis conjunctis, aut miserabilibus, et pro causa suæ Ecclesiæ (*cap. 1. et fin. hoc. tit.*) Diaconi et Subdiaconi insuper possunt postulare in quibuscumque causis, etiam civilibus. coram giudice Ecclesiastico; minoristæ autem coram giudice, etiam seculari, in quibuscumque causis, præter causam sanguinis et mutilationis, *cit. cap. 1. hoc. cit. à sens. contr.*, ubi minoristis prohibetur advocatio coram giudice seculari tantum in eo casu, quo stipendiis ecclesiasticis sustentantur.

282. Q. III. *Quod sit officium et obligatio advocati?*

R. 1.º Est discernere causam, ne falsam et injustam suscipiat, sed verè probabilem, ne cliens damnificetur, et pars altera molestetur. Non oberit autem, si causa oppositæ partis ab initio appareat probabilior; tum quia cliens intentare potest causam vera probabilitate alterius; tum quia in decursu judicii sæpè multa evadunt probabiliora, quæ ab initio minus probabilia videbantur. Gutier. Haunol. contra Sotum.—2.º In agendo advocatus solerter indagare debet merita causæ, servare modestiam, veritatem sine fallaciis, fidelitatem et constantiam, ne causam susceptam deserat, nisi evaderet improbabilis. Undè vitabit superfluas allegationes, frivolas et frustratorias dilationes et exceptiones; et multò magis collusiones cum adversario.—3.º Suo salario contentus erit: et ideò nec paciscetur super quota litis, nec super palmario, seu certo pretio in casum victoriæ solvendo (*lib. 5. C. hoc. tit.*), cum etiam pactum de palmario invitet advocatum ad fallaciter procedendum in causa, propter victoriam obtinendam. Evicta autem causa, nihil prohibet aliquid accipere palmarii nomine.—4.º Durante lite, non licet advocato contrahere cum cliente, ut emendo, conducendo (*l. 6. C. hoc. tit.*), ne cliens videatur cogi ad contrahendum.—5.º

Denique non licet ei alienas lites modico pretio emere; alioquin non aget, nisi ad quantitatem datæ pecuniæ (*l. 22. C. mandati, et cap. fin. de alienat. jud.*), ne hoc modo detur occasio suscitandi lites innumeras.

283. Q. IV. *An, et quando advocatus obligetur ad restitutionem?*

R. Affirmativè:—1.º Si causam injustam scienter susceperit; tunc enim tenetur compensare damna parti læsæ illata, (*S. D. 2. 2. q. 71. ar. 3. in corp.*)—2.º Si post diligentem considerationem sincerè non aperuit clienti, quanta sit probabilitas causæ et spes victoriæ: alioquin si falsa promissione et inani spe illum lactavit, tenetur clienti ad refusionem sumptuum; quia injustè illum damnificavit. Laym. et alii com. Vide S. D. 2. 2. *cit. q. 71. per tot.*—Ceterum advocatus, qui paratus est semper suscipere causam sive justa, sive injusta sit, non debet, nec potest à confessario absolvi; quia hæc prava voluntas, cum sit continuatum peccatum, impedit debitam dispositionem ad valorem absolutionis requisitam.

284. Q. V. *Quæ sint privilegia advocatorum?*

R. *Personalia* sunt:—1.º Nobilitas competens advocatis in dicasterio supremo principis (*l. 7. C. h. t.*)—2.º Immunitas à pœnis ignominiosis, ut fustigatione, suspendio, (*l. 16 18. et fin. ff. de pœn.*)—3.º Immunitas à tortura, et carcere communi (*l. 8. C. de qq.*)—4.º Usus vehiculi in loco, ubi princeps residet, (*arg. l. un. C. de honorar. vehicul.*)—5.º Communicatio in privilegiis militum (*arg. l. 14. C. h. t.*), exceptis iis, quæ ob ignorantiam militibus concessa sunt.

*Realia* sunt:—1.º Immunitas ab oneribus, et muneribus realibus ac personalibus, (*l. 6. C. de profes. et med.*)—2.º Exemptio ab onere hospitandi, *ibid.*—3.º Beneficium competentis, ne ultra honestam sustentationem solvere cogantur, (*l. 6. et 18. ff. de re jud.*)—4.º Prælatio filiorum ad officium advocati (*l. 5. §. 5. C. de advocationib. divers. judicum.*) Sed hæc privilegia hodiè multum attrita sunt.

## TITULUS XXXVIII.

### DE PROCURATORIBUS. <sup>a</sup>

285. *Nota I.* Procuratorem, quasi *pro alio curatorem*, esse illum, qui aliena negotia mandato domini administrat (*lib. 1. ff. hoc. tit.*) Differt à negotiorum gestore, quia iste sine mandato aliena negotia gerit: à tutore, et curatore, quia isti ex testamento, lege aut à giudice deputantur ad res pupilli, aut minoris administrandas.

*Nota II.* Procuratorem variè dividi. Nam:—1.º Est *verus*, qui legitimum domini mandatum habet; et *falsus*, qui vel nullum mandatum habet,

<sup>a</sup>—Agitur de hac materia in Sexto, et Clem. h. t.—In Decreto *dist. 89. et 5. q. 3. et c. 1. infamis 3. q. 7. et Can. 3. cum 9. q. 3.*—In Instit. Pandec. et Codice *tit. de Procuratoribus, et tit. mandati.*

vel insufficientis, aut jam revocatum (*l. 24. C. h. t.*)—2.<sup>o</sup> *Judicialis*, seu *ad lites*, qui ad iudicium; et *extrajudicialis*, seu *ad negotia*, qui ad negotia extra iudicium agenda constituitur.—3.<sup>o</sup> *Principalis*, qui immediate à domino, et *substitutus*, qui à procuratore principali constituitur.—4.<sup>o</sup> *In rem alienam*, qui negotium agit in utilitatem domini; et *in rem suam*, qui negotium sibi à domino cessum in utilitatem suam agit, quo casu actio directa, v. g. mutui exercetur nomine domini cedentis; actio verò utilis nomine procuratoris cessionarii.—5.<sup>o</sup> *Specialis*, qui ad certum negotium; et *generalis*, qui ad omnia negotia deputatur. Et hic vel est *generalis cum libera*, hoc est, cum plena potestate administrandi omnia quæ domini sunt, et ideo dici solet *plenipotentarius*; vel *generalis simpliciter* sine tali clausula, qui tantum potest ea quæ sibi commissa sunt in mandato.

286. Q. I. *Qui possint constituere procuratorem?*

R. 1.<sup>o</sup> Generatim omnes, qui speciatim non prohibentur; cum edictum circa procuraciones sit prohibitorium in materia generaliter permissa, (*l. 33. et 43. ff. h. t.*) Et quidem procuratorem ad negotia constituere potest quilibet, qui rerum suarum vel alienarum administrationem habet, ut dominus, tutor, filiusfamilias quoad castrensia, et servus quoad bona peculiaria (*cit. l. 33. pr.*)

2.<sup>o</sup> Constituere procuratorem ad lites possunt tantum illi, qui sunt domini litis, et per se ipsos agere possunt, ut domini majorenes. *Prelatus* in causa non ardua, si verò ardua sit requiritur consensus capituli (*arg. c. 6. de juram. calum.*); et *universitas*, tanquam domina, et persona ficta (*c. 7. h. t.*) Si verò in communitate aliqui sint excommunicati, vel alii inhabiles, horum auctoritate non debet procurator constitui; multò minus in mandato eorum nomina exprimi, sed solorum habilium (*c. fin. h. t.*) Denique *procurator*, cum citius non fiat dominus litis, nisi lite jam contestata, tunc et non ante constituere potest substitutum; nisi hoc ipsum sit ei prohibitum vel expressè, vel tacitè ob gravitatem negotii, pro quo electa est industria personæ (*c. 4. h. t. in 6. et c. fin. eod.*) Ad negotia autem extrajudicialia procurator regulariter potest sibi alium substituere (*cit. cap. 4. §. procurator.*), cum plerumque in his negotiis non vertatur tantum præjudicium, quantum in iudiciis.

3.<sup>o</sup> Procuratorem ad lites dare prohibentur:—1.<sup>o</sup> *Servus*, nisi de statu suo litiget (*l. 33. §. 1. ff. h. t.*)—2.<sup>o</sup> *Filiusfamilias*, exceptis illis causis, in quibus ipsemet agere potest; ut circa castrense peculium, circa injuriam sibi illatam, (*l. 8. ff. h. t.*)—3.<sup>o</sup> *Minor* sine auctoritate curatoris, exceptis causis spiritualibus, in quibus habetur pro majorenni, et pupillus sine auctoritate tutoris (*c. fin. de jud. in 6.*)—4.<sup>o</sup> *Tutor, curator, syndicus* ante litem contestatam; cum citius non fiant domini litis, licet actorem constituere possint ante litem contestationem (*l. 11. C. h. t.*)—5.<sup>o</sup> *Captus ab hostibus*, cui actorem, non verò procuratorem, constituere conceditur (*l. 13. ff. ea quib. caus. major.*), quia captus non est sui juris.—6.<sup>o</sup> *Excommunicatus*, cui non ad agendum, sed præcisè ad defendendum conceditur procurator (*c. fin. h. t.*)—7.<sup>o</sup> *Religiosus* (*Clem. 3. h. t.*), nisi pro se agat, v. g. contra Prelatum.

287. Q. II. *An dominus in casu impedimenti compelli possit ad constituendum procuratorem?*

R. Affirmative, si impedimentum est perpetuum, vel diu duraturum, ne jus alterius pereat, aut lædatur. At si est temporale, et brevi cessaturum, nemo regulariter cogi potest ad constituendum procuratorem; nisi aliud habeat consuetudo.

288. Q. III. *Qui constitui possint Procuratores?*

R. 1.<sup>o</sup> Generatim omnes, qui specialiter non prohibentur, cum hoc sit de genere permissorum.

2.<sup>o</sup> Præter infantes et usu rationis carentes, nec ad lites, nec ad negotia procuratores fieri possunt *militis*, (*l. 9. C. h. t.*), ne à castris avocentur; nisi agant in rem suam vel nomine cohortis suæ. Item minores 17 annis (*C. 5. h. t. in 6.*)

3.<sup>o</sup> Procuratores ad lites constitui nequeunt:—I. *Servi*, (*lib. 33. pr. ff. h. t.*)—II. *Banniti*, et rei criminis capitalis, donec suam innocentiam probent, (*l. 6. C. h. t.*)—III. *Redimentes alienam litem*, vel super quota litis paciscentes (*arg. l. 5. C. de postul.*)—IV. *Potentiores*, (*tit. C. ne lic. potent.*), quia præsumuntur sua potentia velle opprimere adversarium.—V. *Excommunicati*, cum non habeant personam standi in iudicio, (*C. 8. de probat.*)—VI. *Religiosi*, nisi de consensu Prælati in causa monasterii, (*Clem. 3. h. t.*)—VII. *Clerici*, in casibus quibus eis non permittitur advocatio.—VIII. *Feminae* (*l. 54. ff. et l. 4. C. h. t.*), quia officium procuratoris virile est, et à pudore femineo sexus alienum, (*l. 18. C. eod.*) Excipe, nisi femina agat in rem suam, vel pro parentibus inhabilibus, vel pro defensione libertatis, vel pro filiis, quorum tutrix est, vel pro iuribus monasterii, si Abbatisa est, (*l. 41. ff. h. t. l. 3. §. 2. ff. de liberal. caus. c. 67. de appell. c. 4. §. quia verò de constr. util. ibi: eandem Abbatisam procuratorem ipsius duximus statuendam.*)—IX. *Infames* infamia juris, aut facti de jure Canon. (*Can. 1.*) *infamis persona nec procurator esse potest, nec cognitor*: quæ dispositio præsertim de hodiernis moribus, recipitur etiam in foro civili, cum §. *fin. Inst. de excep.* loquatur solum de infamia dubia.—X. *Minor 25 annis* de jure Canon. *c. 5. in fin. h. t. in 6.* ibi: *ad iudicia tamen nisi major 25 annorum fuerit, deputari nequit.* At de jure civili sufficere 17 annos docent Perez, Zoës, Kees, et alii. Sed probabilius certa dispositio juris Canon. servanda est etiam in foro civili, ut volunt Wesemb. Schmier cum citt., nam juxta *l. 51. ff. h. t. Minor 25 annis defensor idoneus non est*, ne scilicet reddatur iudicium elusorium, minore restituto. sed etiam si minor esset procurator, iudicium reddi posset elusorium, saltè in casu, quo principalis lapsus facultatibus non esset solvendo: tum quia minores non habent legitimam personam standi in iudicio, (*l. 2. 3. C. qui leg. person.*), et ideo filiusfamilias minor repelli debuisset à procuratoris officio, nisi patrem absentem defendisset ex pietate et commiseratione, (*l. 12. C. h. t.*), ergò. Nec obstat. §. 5. *In quibus ex causis*; nam favore libertatis conceditur, ut servus minor manumissus ad officium procuratoris admittatur.

289. Q. IV. *An filiusfamilias, an absens, an duplex procurator constitui possit?*

R. Ad 1.<sup>m</sup> Affirmativè, ex c. 14. h. t. l. 8. ff. eod., quia filiusf. ex omni contractu obligari potest. (l. 39 ff. de O. et A.) Si quid tamen nocumentum pater exinde sentire deberet, necessarius esset ejus consensus.—Ad 2.<sup>m</sup> Affirmativè, modò absens ratum habeat mandatum, (l. 1. §. fin. ff. h. i.); imò si primum renuit, mutata voluntate recipere potest mandatum (c. 7. h. t.) nisi in casum voluntatis alius à domino fuisset deputatus.—Ad 3.<sup>m</sup> Affirmativè, (c. 6. h. t. in 6. l. 32. ff. h. t.) Et quidè, si plures constituantur singuli in solidum, locus est præventioni; si communiter, seu universi in solidum, alter sine altero non aget, nisi iudex ob celerem expeditionem unum ex iis eligat, (cit. c. 6. §. sane h. t. in 6.) Si plures diversis temporibus constituti sunt, regulariter posterior præfertur priori, nisi aliud ex mandato procuratorio colligatur. (l. 31: §. fin. ff. h. t.)

290. Q. V. *Qua forma et modo constituatur Procurator?*

R. 1.<sup>o</sup> Mandato procuratorio legitimè confecto secundum stylum cujusque curiæ; ita ut contineat nomen constituentis, constituti, adversarii, causæ, judicis, et necessarias clausulas juramenti de calumnia, cautionis de rato, et indemnitate etc., diem et annum cum aliis consuetis solemnitatibus.—2.<sup>o</sup> Hoc mandatum per instrumentum, vel saltè per testes probatum, ita est necessarium procuratori, ut sine eo non admittatur ad agendum, et acta judicii sint ipso jure nulla, (arg. cap. 4. v. nos verò hoc. tit.) ; quia procurator sine mandato reputatur persona extranea, cui nulla est actio contra reum. Suppletur autem hoc mandatum, si quis agat domino præsentè, et non contradicente (l. 18. ff. mandati), vel pro personis conjunctis (l. 35. ff. h. t.), vel pro uxore (c. 12. h. t. et l. 21. C. eod.), vel pro consorte ejusdem litis (l. 2. C. de consort. ejusd. lit.), vel pro juribus Ecclesiæ, si prælatus dilapidet bona, et negligat jura illius (c. 1. de rest. spol. et c. 6. de reb. Eccl. alien.) Denique si defensor est rei absentis, tunc enim admittitur sine mandato; modò satisfaciat de judicato solvendo, vel de rato in casu, quo reus convenitur actione reali (l. 40. 64. 76. ff. et l. 12. C. h. t.); nam ratio naturalis suadet, et publicè interest absentes, etiã ignorantés per quemcumque idoneum defendi, ne ignari damnum patiantur. (l. 33. ff. de neg. gest.)

291. Q. VI *In quibus negotiis et causis constitui possit procurator?*

R. Generatim in omnibus quæ specialiter non excipiuntur, cum materia ista sit de genere permissorum; ergò concessum intelligitur, quod nominatim non prohibetur. Undè procurator dari potest:—1.<sup>o</sup> in causis pecuniariis, liberalibus, temporalibus, spiritualibus, matrimonialibus, in litibus etiã futuris, in prima et secunda instantia, ut passim hæc afferuntur h. t. in utroque jure.—2.<sup>o</sup> In causis famosis, ubi infamia per se et principaliter infligitur reo, admitti potest procurator, cum id nullo jure vetetur: uti etiã in causis criminalibus aliis, in quibus civiliter agitur ad pœnam pecuniariam aut similem; cum exequutio non fiat in persona, sed in bonis, (c. 5. h. t. l. 42. ff. eod.)—3.<sup>o</sup> In causa criminali criminaliter intentata, seu ad vindictam publicam, si imponenda est pœna relegationis, vel minor, admittitur procurator pro reo; non verò regulariter, si imponenda est pœna capitalis, vel major relegatione. Ità l. 1. ff. an per alium causæ app. l. 43. ff. de publ.

judic. et c. 15. de accusat.) *Ratio primi*, quia si reus fugiat, sententia non redditur elusoria, cum ipsa fuga exequi possit pœnam relegationis. *Ratio secundi* è contrario; quia in casu quo reus fugeret, sententia capitalis, vel relegatione major, nullum haberet effectum: non quidè in procuratore, utpotè innocente; non in reo, utpotè profugo; ergò.—4.<sup>o</sup> Si reus personaliter comparere non potest in judicio, probabile est admitti posse procuratorem in causa capitali, non tantum ad allegandam causam absentiae, et opponendas exceptiones dilatorias contra adversarium, judicem et testes, sed etiam ad probandam et defendendam ipsam innocentiam rei. Ità Fachin, Pirhing, Schmal. Zoes, h. t. num. 4. contra Gloss. c. 15. de acus. v. criminali. Prob. ex l. 3. C. de acus. ubi indistinctè Alex. Imp. rescribit: *Reos capitalium criminum absentes etiam per procuratorem defendi, legibus publicorum judiciorum permittitur.* Idem docet Jctus. l. 33, §. 2. ff. h. t.; nam causa capitalis digna est commiseratione; ergò sicut in illa admittitur transactio (l. 18. C. de transact.), ita quoque admittendus est procurator ad defendendum. Ceterum, si procurator succumbat, etiam absentes condemnantur, et exequutio fit quatenus potest etiam in pictura. Clar. 5. sent. §. fin. q. 45. Zoes, et alii. Quia verò hodie inscriptio in pœnam talionis sublata est, quilibet per procuratorem accusare potest; licèt in praxi rarò id accidat, cum nunc contra criminosos plerumque vigeat inquisitio.—5.<sup>o</sup> Actor per procuratorem nequit intentare actionem cuilibet de populo competentem; quia ante litem contestatam non est ejus dominus (l. 42. ff. h. t.); reus verò eam excipere potest per procuratorem (l. 5. ff. de popular. act.), cum per illam plerumque pecunia et interesse petatur.

292. Q. VII. *Quod, et quale sit officium procuratoris?*

R. 1.<sup>o</sup> Est diligenter negotia domini secundum formam mandati administrare (arg. l. 1. pr. ff. h. t.)—2.<sup>o</sup> Hoc officium est gratuitum, quia mandatum, nisi gratuitum sit, nullum est (l. 1. §. fin. ff. mandati.) Alioquin si merces constituatur, non procurator, sed operæ locator est, (ibid. in fin.); finito autem officio, si quid remunerationis causa detur, non mutatur natura hujus contractus (l. 6. 7. ff. eod. 7.) Procurator idoneo mandato instructus hodiè non satisfaciat, licèt mero jure procurator actoris satisfacere deberet de rato (l. 1. C. h. t.); at defensor rei mandato carens, si actio est personalis, tenetur dare satisfactionem de judicato solvendo; si verò actio est realis, tenetur satisfacere de rato habendo (l. fin. C. de consortib. ejusdem lit. l. 39. §. 2. cum seqq. et l. 40 §. 2. 3. ff. h. t.), nam sine satisfactione nullus est idoneus defensor rei alienæ.

293. Q. VIII. *Quæ, et quanta sit potestas procuratoris?*

R. Generatim tanta quanta in litteris mandati continetur (l. 10. C. h. t.) Et quidem:—1.<sup>o</sup> Procurator judicialis potest litem contestari, qua contestatione facta, fit dominus litis, et sententia in illum fertur de jure scripto civili (l. 23. C. h. t. l. 1. C. de sent. et interloc.); licèt de consuetudine in camera imperiali et aliis tribunalibus, sententia ferri solet in dominum principalem. De jure Can. sententia ferri potest vel in personam procuratoris, ut c. 6. de Relig. domib. c. 2. de capell. monach. vel in personam principalem, ut c. 6 de in int. rest. c. 14. de censib. Exequutio autem fit in bonis

domini, nisi procurator *in rem suam* datus fuisset, vel ad defensionem se obtulisset, data satisfactione de iudicato solvendo, vel rato habendo (*l. 61. ff. h. t.*)—2.º Procurator appellare potest à sententia contra dominum lata (*c. 11. h. t.*), cum appellatio pertineat ad primam instantiam. At prosequi appellationem regulariter non tenetur procurator invitus, ut communis sententia tenet ex *c. 14. h. t.* ibi: *licet appellationem prosequi non tenetur invitus*, nisi aliud convenisset: nam prosequutio appellationis, cum pertineat ad aliud iudicium in alio loco exercendum, regulariter non continetur in tenore mandati.—3.º Procurator actoris datus *ad agendum*, vi hujus mandati censetur datus ad respondendum, seu defendendum (*arg. l. 33. ff. h. t.*); quia agere est principale, et respondere accessorium. At procurator rei datus *ad agendum*, respondere nequit, cum hoc sit principale, convenire autem potest procuratorem actoris, propter connexionem causæ (*cit. l. 33. §. 4. ff. h. t.*)—4.º Procurator constitutus generaliter ad negotia, vi talis mandati censetur etiam constitutus ad lites, ut colligitur ex *cap. 6. hoc. tit. in 6.*; nam licet *negotia* in stricta significatione opponantur litibus, tamen in ampla, et adhuc propria significatione continent sub se lites (*l. 5. C. de jurisd. omn. judic.*); ergo negotia generaliter expressa generaliter intelligenda sunt de judicialibus et extrajudicialibus, per *l. 8. ff. de publician. in rem act.* Excipe illa, quæ mandatum speciale requirunt, hæc enim non potest procurator generalis: ut deferre juramentum litis decisivum, transigere, compromittere in arbitros, debitum remittere, donare, et similia quæ recenset Glossa *cap. 11. h. t. v. portitoribus*; nisi procurator generalis sit *cum libera*, quæ clausula æquivaleret mandato speciali (*l. 1. §. 1. ff. h. t.*), quamvis *donatio* ne quidem sub hac clausula venire videatur.—5.º Si in mandato generali exprimantur quædam especialia cum clausula *expediendi cetera quæ speciali mandato indigent*, poterit procurator his similia, vel minora, non autem majora, (*c. 4. h. t. Clem. 2. eod.*)

294. Q. IX. *Ex quibus causis excipi possit contra procuratorem?*

R. Ex quatuor præcipuis:—1.º *Ex parte constituentis*, quia caruit potestate constituendi.—2.º *Ex parte constituti*, quia non est idoneus ad officium procuratoris ratione ætatis, excommunicationis etc.—3.º *Ex parte causæ*, quia hæc procuratorem non admittit.—4.º *Ex parte formæ*, quia non habet mandatum sufficiens.

295. Q. X. *Quæ gesta procuratoris obsint, vel prosint domino principali?*

R. 1.º Gesta contra fines mandati non nocent domino (*l. 10. C. h. t.*), quia procurator diligenter custodire debet fines mandati, et ultra non excedere.—2.º Si procurator non excessit fines mandati, omnia ipsius gesta ad processum judicarium pertinentia imputantur domino, licet aliquid dolo, aut culpa malè gestum, aut omissum sit, (*cit. l. 10. C. hoc. tit. cap. 2. §. nos igitur de in integr. restitut.*) Unde nocetur domino, si procurator in præfixo termino non comparuit; si testes, et alias probationes, aut exceptiones non produxit; si fatalia appellationum labi scivit; si confessionem necessariam, seu à iudice imperatam erroneè fecit, nisi dominus eam revocaverit etc. Nam hæc omnia tenebatur facere dominus per se, vel per alium; cum ergò nec per se, nec per alium fecerit, ei imputandum est, ut

propterea sententia non rescindatur.—3.º Si procurator extra illa, quæ respiciunt processum judicarium, deliquit, ut circa pœnam, vel impositionem mulctæ, id non nocet domino: quo sensu procedit *l. un. §. 2. ff. si quis jus dic.* ubi Ulp. ait: *Si procurator tuus, vel tutor, vel curator jus dicenti non obtemperaverit, ipse punitur, non dominus, vel pupillus.*—4.º Dominus vi mandati agere potest *actione directa*, ut procurator, finito negotio aut lite, rationem gestorum reddat, actiones acquisitas cedat (*l. 46. §. 4. ff. h. t.*), præstet dolum, et omnem culpam, adeoque et levissimam (*l. 11, 13. C. mandati.*); quod singulare est propter industriam tacite promissam. Si verò procurator non sit solvendo, æquitas naturalis dicat domino concedendam esse in integrum restitutionem. Econtrà procurator circa id, quod in gratiam domini impendit, gerendo negotium aut litem, convenire potest dominum *actione contraria mandati*, etsi negotium citra culpam procuratoris non habuerit bonum exitum (*l. 46. §. 5. 6. ff. h. t. c. 6. eod.*), quia officium suum nemini debet esse damnosum (*l. 7. ff. testam. quemadm. aper.*)

296. Q. XI. *Quibus modis expiret officium procuratoris?*

R. 1.º *Mutuo consensu constituentis et constituti*, etiam re non integra, (*per reg. 4 in antiq.*)—2.º *Morte procuratoris*, cum procuratio non transeat ad hæredes (*l. 27. ff. mandati l. 57. ff. de judic.*)—3.º *Morte constituentis*, re adhuc integra ante litem contestatam (*l. 26 ff. et l. 15. C. mandati.*) Prælati autem ecclesiastici, etiam re non integra, non tenentur stare contractui et mandato antecessoris, nisi adfuerit consensus capituli (*Clem. fin. h. t.*), quia Prælati de se solo non potest quidquam disponere in tempus mortis.—4.º Si ipse dominus ante, vel post litem contestatam veniat, et per se, excluso procuratore, causam agat, (*c. 2 et 8. h. t.*)—5.º Exoneratione, seu renuntiatione officii procuratorii, et quidem post litem contestatam de consensu domini; nisi superveniret infirmitas, insperata negotia, inimicitia cum principali; quibus casibus non opus est consensu domini (*l. 8, 9, 10. ff. h. t.*)—6.º *Revocatione*, et quidem sine causa, si res est integra; ex causa verò justa, si negotium jam est ceptum, aut lis contestata, cujus procurator factus est dominus. Porrò revocatio ista non sortitur suum effectum, nisi procuratori debite sit intimata, et simul personæ cum qua negotium geritur; in iudicio autem alternative iudici, vel adversario, et simul procuratori, (*c. 3. 4. h. t. c. 2. eod. in 6. l. 15, 17. ff. h. t.*); nam harum personarum interest scire revocationem debite factam esse, adeo ut acta procuratoris ante intimationem revocationis omnino valeant. Excipe matrimonium, beneficium ecclesiasticum, officium patrini in baptismo et confirmatione ad contrahendam cognationem spirituales, et alios similes actus, in quibus requiritur consensus verus et verè perseverans, non autem sufficit fictus; tunc enim revocatio mandati, etsi non pervenerit ad notitiam procuratoris, statim sortitur suum effectum, et actus contra illum gestus est nullus, (*cap. fin. h. t. in 6. Clem. un. de renuntiat.*)—7.º Denique finitur officium procuratoris, finita instantia, lata sententia definitiva, aut peracto negotio; cum mandatum ultra non porrigatur.

297. Q. XII. *An, et quomodo gesta falsi, seu revocati procuratoris sint invalida?*

R. Esse invalida post oppositam exceptionem, sive illam dominus, sive pars adversa opponat ante, vel post sententiam. Ita *c. 4 in nostra in fin. h. t.* ibi: *Qua probata, iudicium nullum, et nullius momenti controversiæ reputantur.* Nam procurator revocatus repelli potest, tanquam extranea persona cui nullum jus est agendi. At contra, si nec dominus, nec pars adversa contra falsum procuratorem excipiat, convalidantur omnia ejus gesta per ratihibitionem partium, quæ retrotrahitur, et mandato æquiparatur; (*l. 56. ff. de judic.*) Sic dominus appellans contra sententiam in falsum procuratorem latam, censetur gesta ejus approbare (*l. 3. §. falsus ff. rem rat. haberi*, alioquin non appellare, sed exceptionem falsi procuratoris opponere debuit; per *cit. cap. 4 hoc tit.*

Hic non procuratori affines esse *defensorem, actorem, et negotiorum gestorem.* *Defensor* est, qui tantum in litibus absentis rei sine ullo mandato causam in iudicio defendit, præstita cautione de iudicato solvendo, vel rato habendo. *Actor* est, qui in casu necessitatis, vel impedimenti, interposito decreto iudicis, constituitur à tutore, curatore, vel alio administratore: et negotia domini periculo tutoris aut administratoris gerit. (*§. fin. in de curator. l. 24. ff. de Administr. tutor. l. 11. C. h. t.*)—*Negotiorum gestor* est, qui absentis et ignorantis negotia gerit absque ullo mandato. Atque id à Prætoribus introductum est ex æquitate, ne absentium negotia deserantur. Hinc oritur duplex *actio prætoris negotiorum gestorum: directa* competens domino contra negotiorum gestorem ad restituendum quod gessit, vel reparandum quod malè ex dolo, vel culpa levi fecit, aut omisit: *contraria* competens gestori contra dominum ad resarciendum id, quod in negotii gestione de suo impendit (*l. 2. ff. de negot. gestif.*)

### TITULUS XXXIX.

#### DE SYNDICO. <sup>a</sup>

298. *Nota*, Syndicum esse procuratorem à corpore, seu universitate constitutum communi mandato, ad pertractandas omnes causas, et lites universitatis, hoc est, capituli, collegii, civitatis, vel alterius corporis. Ex qua descriptione colliguntur omnia præcipua requisita ad syndicum, puta ut constituatur à communitate, seu corpore, mandato communi, seu decreto ordinis (*l. 3. ff. quod cujusque univers.*), generaliter ad omnes causas judiciales, cum potestate ampla, quæ competit procuratori generali *cum libera* (*l. 1. §. 1. et l. 6. §. 1. ff. eod.*), nisi in mandato ei restringatur:

<sup>a</sup>.—Agitur de hac materia *c. 12 qui vere 16. q. 1.*—In Pandectis *tib. 3. tit. 4. et lib. 50. tit. 4. leg. 18. §. 1.*

donare tamen, et liquida debita remittere non permittitur syndico. Differt autem syndicus à *procuratore* specificè sumpto; quia hic causas privatorum agit. Ab *actore publico*, quia iste ad unam, vel alteram certam causam constituitur. A *fiscali*, seu *procuratore fisci*, quia iste solas causas criminales, mulctas, et pœnas fisco, seu universitati debitas persequitur; syndicus plerumque civiles. Ab *administratore* Cameræ, et *curatore universitatis*; quia ille præest rei nummariae, iste negotiis extrajudicialibus; syndicus verò judicialibus. Fere omnia, quæ dicta sunt de procuratore, proportionaliter applicanda erunt syndico.

299. Q. I. *An laicus in causis spiritualibus constitui possit syndicus, et Religiosus in causis sui monasterii?*

R. *Ad 1. m.* Affirmativè, ex *c. 1 de Procurator. in 6.* cum hoc nullo jure prohibeatur. Nam licet laicus in causis spiritualibus non possit esse iudex etiam delegatus, vel administrator Ecclesiæ, vel elector personæ ecclesiasticæ, cum hæc omnia sint officii ecclesiastici, et spiritualis; potest tamen ministerialiter et nomine principalis, causas spirituales in iudicium deducere: siquidem ad hoc nulla jurisdictio, aut potestas spiritualis requiritur; ergò.

*Ad 2. m.* Affirmativè, præsertim si id exigat necessitas et utilitas monasterii, (*c. 35 monachi 16. q. 1. c. 2 de postulando*); nam Religiosus idoneus à capitulo electus in syndicum nullo jure arceatur à munere syndicali ad causas forenses peragendas.—Nec obstat *c. 1 ne Cler. vel monach. c. 2 de in integr. restit. cap. unic. hoc tit.*; nam jura ista procedunt solum de honestate et decencia, quia *expedit pro parvo incommodo à strepitu causarum servos Dei esse quietos.*

300. Q. II. *An solus Prælatus revocare possit syndicum?*

R. Regulariter loquendo affirmativè: nam juxta *cap. 21 de rescr.*, Prælatus ex officio suo tenetur congregationis suæ negotia procurare; ergò ipse solus potest revocare syndicum, et actiones per se intentare.—Nec obstat, quod syndicus constituatur de consensu capituli: nam, ne monasterium lædatur, meritò plus requiritur ad constitutionem, quam revocationem syndici. *Excipe*, nisi Abbatis, et capituli negotia essent discreta: tunc enim syndicus à capitulo constitutus, ab eodem revocandus foret (*arg. cit. c. 21 de rescript.*)

### TITULUS XL.

#### DE HIS, QUAE VI, METUSVE CAUSA FIUNT. <sup>a</sup>

301. *Nota I.* Hic non agi de *vi*, seu invasione *publica*, quæ fit armis,

<sup>a</sup>.—Agitur de hac materia in Sexto *h. t.*—In Decreto *15. q. 6 et 20. q. 3 et 23. q. 5, 6.*—In Pandectis *l. 4. tit. 2* ubi rubrica concipitur à primis verbis edicti prætorii: *Quod metus causa gestum erit, ratum non habeo.*—In Codice *lib. 2. tit. 20 de his, quæ vi, metusque causa gesta sunt.*